

DOCTRINÆ ELEMENTARIÆ APPLICATÆ

Cap. II.

THERAPEUTICÆ.

Remedia, quibus contra errores salubriter utendum est, duplicis generis sunt: ea vel *preservativa* nominant, quibus cavetur, nequis nascatur error; vel *sanativa*, quæ sunt tollendi erroris jam admissi.

Errores universe quidem, seu *collective*, ut ajunt, inevitabiles merito censentur, propterea quod ex limitantibus quibusdam conditionibus humanæ cognitionis existunt, quas à cognoscente subjecto, empirice determinato, separare non licet: sigillatim vero, seu *distributive* spectati omnino evitabiles sunt, cum species logica, unde nascuntur, de se neque judicium est, neque judicandi necessitatem imponit.

§. 162.

Remedia *preservativa* numero quatuor sunt, eaque valde generalia.

a) *Notitia ipsarum virium cognoscendi.* Ad hanc parandam opus est scrutari leges, quibus regitur illarum efficientia, et explorare terminos, quibus earundem usus

circumscribitur est. Hinc cognitionis nostræ petitur finitio: quæ vel *absoluta*, sive *generalis* est, communis omnibus subjectis; vel *relativa*, sive *privata*, quibusdam individuis propria. Cum vero finitio relativa caret terminis necessariis; danda est opera, ut numerus cognitionum magis magisque augeatur.

b) *Notitia fontium*, e quibus errores profluunt. Nam qui noverit errandi pericula, non ira facile in errorem inducitur. Ad hunc finem prodest pathologia, jam modo proposita.

c) *Providentia in judicando*; ut absit levitas, et inconsiderantia; ut, quæ judiciorum momenta sunt, colligantur sedulo, ac sollicite perpendantur. Cum repentino impetu sine certa ratione veluti vento animus rapitur; misere vagatur, et ab eo, quod verum est, facillime deflectit.

d) *Suspensio judicii, rebus incertis*: quam vult amor veri, et odium falsi. Suspendere, reservare, differre judicium, donec omnia sint magis considerata, est quidem confessio ignorationis, sed nequaquam in-

honestæ, cum abest stupiditatis et desidie culpa; imo philosophis dignissima, qui cum scrutati sunt multa, id maxime sciunt, se plurima ignorare.

§. 163.

Errorum, qui sunt admissi, unum est principale certissimumque remedium, scilicet speciem, ex qua prognati sunt, detegere, ac detectam resolvere. Detegitur species, cum noscitur, quænam fuerit ansa falsi iudicii; resolvitur vero, si verum iudicium in locum falsi substituitur. Sic enim nodus erroris omnino solvitur.

Conscientia erroris non statim ipso errore liberat. Ex repugnantia iudiciorum, quæ de quodam objecto lata sunt, cognoscitur admissus error; quodnam sit verum, quodnam falsum, non ideo patet. Quamvis subinde recta sit conjectura veri; non radicitus tamen est sublatus error, cum subrepere intellectui nova quadam forma potest.

§. 164.

Errores *sensuales*, sive *æsthetici*, qui tribuuntur sensui externo, prohibentur naturali organorum sanitate, providoque usu; iusta collocatione objectorum, atque

Instrumentorum subsidio, si qua opus sunt: tolluntur vero iterata perceptione propria, vel etiam juvante aliena.

Si organa sunt minus integra, nec, quod inest, vitium sanare licet; si rectus eorundem usus impeditur quadam materia interjecta, quæ non facile removeatur; si desunt instrumenta, quæ succurrant, dum vitiosa sunt organa, vel male collocata objecta; judicio abstinere decet ob præsentissimum errandi periculum. Si modo erratum est; objecta sunt accuratius penitusque intuenda, Commodum quoque est, aliorum perceptionibus frui, quæ diligentiores habentur.

§. 165.

Errores *sensuales*, sive *æsthetici*, qui referuntur ad sensum internum, generatim spectatum, prohibentur justa quadam diffidentia, et moderata circumspectione; tolluntur vero accurata disquisitione de mutationibus animi, e quibus forte profecti sunt.

Affectio animi plane incerta judicii norma. Uti eadem sæpe, variantibus objectis; ita diversa est, objecto nullatenus mutato. Quare prudentis est, jam primum diffidere, et attente circumspicere, quid rei sit, quod obversetur animo: non ineptum, et aliorum judicia consulere, et rationes, quas æquuntur. Si modo erratum esse constat; scrutandum est, quid mutationis in animo contigerit; quid novæ alacritatis, vel ægritudinis; quid torpedinis, vel perturbationis tales judiciorum ineptias procrearit.

§. 166.

Errores, quorum parens *memoria* est, prohibentur exercitatione et labore; tolluntur iteratis perceptionibus, vel etiam juvante alterius memoria, quæ tenacior fuerit, ac fidelior.

Ad exercendam memoriam nihil potentius, quam multa ediscere, multa cogitare, et, si fieri potest, quotidie. Nihil æque vel augetur cura, vel negligentia intercidit. Cujus rei tanto major habenda ratio est, quanto ægrius illius ope carere intellectus potest. Quanquam et exercitæ memoriæ illud evenit, ut plura excidant, et varia inter se misceantur. Tum id unum superest, ut repetamus res ipsas, vel utamur aliorum fide. Si neutrum licet; tantisper suspendendum judicium est.

§. 167.

Errores *imaginarii* prohibentur informatione ipsius phantasie; tolluntur instauratione repræsentationum, ubi cum pristinis depravatæ conferuntur.

Phantasia debilior excitanda est artificiis phantasie uberioris; vivacior reprimenda cogitationibus abstractis, studio philosophiæ, et matheseos. Si peccaverit producendo vel reproducendo; nihil tutius, quam revocare pristinas repræsentationes: unde planum fiet, quid vitiosum sit in noviter conjunctis; quid instauratis male additum, vel subtractum.

§. 168.

Errores, quibus *vis reminiscendi* auctor est, non prohibentur, nisi memoria et phantasia suo fungantur officio; non tolluntur, nisi redintegrata sit perceptio, rebus iterum inspectis, circa quas erratum est.

Vis reminiscendi dum viget ac languet pro conditione memoriæ et phantasiæ, cum his ipsis communem eurationem habet.

§. 169.

Errores, quos inepta *idearum associatio* procreare solet, prohibentur disciplinarum studiis, quas abstractas vocant; tolluntur recordatione legum, quas logica præcipit ad rite continuandas cogitationes.

Disciplinæ abstractæ sic occupant animum, ut contineant, ne vagari licentius possit; alentes istius modi considerationibus, quibuscum inepti quid non facilem communionem habet. Sic assuescit animus parere legibus intellectus et rationis; et siquid subinde admittitur erroris, id facile animadvertitur et emendatur.

§. 170.

Errores *symbolici* non prohibentur, non tolluntur, nisi diligente sermonum stu-

dio, præsertim sermonis patrii, ob frequentiore usum; nisi adjuvantibus regulis, quas habet ars critica et hermeneutica.

Quo plenior et perfectior cognitio sermonis; eo promptior intellectus alienæ cogitationis, et communicatio suæ cum aliis. Quod attinet regulas artis criticæ et hermeneuticæ, iis potissimum indigent, qui cognitionis avidi priscorum scriptis sibi utendum putant. Ceterum philologia et philosophia quam arctissimam societatem volunt, ut absint vanæ inutilesque logomachiae; ne verborum potior, quam rerum cura sit.

§. 171.

Errores *pathologici* nec satis prohiberi, nec facile tolli possunt, nisi curatione ipsius animi, sublata illius pravitate, reditoque studio veri. Id maxime agendum, ut in ferendis iudiciis intellectum et rationem potius, quam phantasiam et voluntatem sequamur.

Remedia pravitatis, et, quod inde nascitur, mali suppeditare logica non potest. Tantum fungitur officio monitoris, prohibens, ne parendo affectibus abducamur à vero. Anthropologiæ proprium est, modos ostendere, quibus regendæ sint cupiditates, quibus sedandi affectus, ne repugnent contra intellectum et rationem; ne morentur, vel impendant cognitionem veri.

§. 172.

Errores varii, qui nasci solent *e conditionibus externis*, prohibentur cognitione legum, quæ sunt intellectus et rationis, ac genuino iisdem obsequendi studio: tolluntur severo examine judiciorum, quæ generatim sine prævia disquisitione approbata esse constat.

Inter representandum et cognoscendum animus pareret quidem primitivis legibus intellectus et rationis, sine illarum conscientia determinata et perspicua: sed sæpius aberrat; vel quia minus est imbutus præceptis, minusque exercitatus; vel quia minus diligens et studiosus, quidquid est operationis, ad cognitæ leges accommodandi. Examen vero, quod adhibebitur, summæ utilitatis est, ac dignissimum sapientiæ studioso. Recta judicia, quæ solido carebant fundamento, novis rationibus firmantur; quæ levior mens tulit, justo negligentior legum, ea, cum indigna sunt sapiente, tanquam inhonesta et noxia repelluntur. Quare persuasiones nostræ sæpius et inter se, et cum aliorum persuasionibus conferendæ sunt.

§. 173.

Errores denique omnis generis, qui originem trahunt *e limitationibus ipsius intellectus*, prohibentur idoneis contentionibus animi, ac liberalibus exercitiis; tolluntur sedula contemplatione, qua reflectitur ad judicia jam lata; qua ponderantur mo-

menta, quibus intellectus ad ferenda iudicia impulsus est.

Contentio uti corporis, sic animi vim auget, atque exercitatio uti corpus, sic animum promptiorem reddit ad fungendum officiis. Sunt tempora, quibus expeditior est animus, liberatus alienis curis et consiliis; sunt, quibus maxime viget, ad cogitandum facilis et paratus: his utendum, his fruendum liberally. Dum vero animus sæpe reflectitur ad operationes præteritas; non solum edocetur, quid fuerit erratum, sed etiam quid emendandum sit mali, ne diutius errare debeat.
